

Prot 329/99/L

NOTIFICATIO  
DE TITULO ECCLESIAE

1. Omnis ecclesia titulum habere debet in actione liturgica dedicationis seu benedictionis assignatum.<sup>1</sup>

2. Ecclesiae in titulum habere possunt Ss.mam Trinitatem, Dominum nostrum Iesum Christum sub invocatione mysterii vitae eius aut nominis in sacram liturgiam iam inducti, Spiritum Sanctum, vel Beatam Mariam Virginem item sub aliqua appellatione in sacram liturgiam iam assumpta, sanctos Angelos, Sanctum vel Beatum in Martyrologio Romano inscriptum.<sup>2</sup>

3. Titulus ecclesiae unus tantum sit, nisi agitur de Sanctis qui una simul Calendario proprio inscribuntur.

4. Beatus cuius celebratio nondum inscripta sit in legitimo Calendario dioecesano absque indulto Apostolicae Sedis ut titulus ecclesiae eligi nequit.<sup>3</sup>

5. Peracta ecclesiae dedicatione, titulus mutari nequit (can. 1218), nisi, exstantibus gravibus causis, id ei a Sede Apostolica expresse fuerit indultum.

6. Si vero titulus assignatus sit una cum benedictione ecclesiae, iuxta *Ordinem Benedictionis Ecclesiae*,<sup>4</sup> hoc in casu ab episcopo dioe-

<sup>1</sup> Cf. *Pontificale Romanum*, Ordo dedicationis ecclesiae et altaris, editio typica 1987, cap. II: Ordo dedicationis ecclesiae, n. 4.

<sup>2</sup> Cf. *Ibidem*.

<sup>3</sup> Cf. *Ibidem*; CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, Notificatio de dedicatione aut benedictione ecclesiae in honorem alicuius Beati, diei 29 novembris 1998.

<sup>4</sup> Cf. *Pontificale Romanum*, Ordo dedicationis ecclesiae et altaris, editio typica 1987, cap. V: Ordo benedictionis ecclesiae.

cesano mutari potest (cf. can. 381 § 1) omnibus bene perpensis et gravi de causa.

7. Nomen paroeciae titulo plerumque ecclesiae paroeciali sit conformis.

8. Patronus ut intercessor seu advocatus apud Deum, sit persona creata, scilicet Beata Maria Virgo, Sancti Angeli, Sanctus vel Beatus. Semper ideoque excluduntur Ss.ma Trinitas et divinae Personae.<sup>5</sup>

9. Patronus eligendus est a clero et a fidelibus, quae electio approbanda est a competenti auctoritate ecclesiastica. Ut effectum liturgicum habeantur, electio et approbatio indigent confirmatione Congregationis de Culto Divino et Disciplina Sacramentorum, quae decreto eiusdem Dicasterii conceditur.<sup>6</sup>

10. Patronus loci distinguitur a titulo alicuius ecclesiae; iidem esse possunt, sed non necessario.

11. Si quando loco diversarum paroeciarum suppressarum una nova erecta fuerit habeat ipsa ecclesiam paroecialem propriam, quae nisi novum sit aedificium, titulum hucusque vigentem retinet. Etiam ecclesiae paroeciarum suppressarum quae quandoque tanquam «conparoeciales» considerantur, proprios titulos retinent.<sup>7</sup>

12. Si plures paroeciae ita coniungantur ut ex iisdem una nova constituatur, licet, ob rationes pastorales, novum constituere nomen a titulo ecclesiae paroecialis differens.

Ex Civitate Vaticana, die 10 februarii 1999

Georgius A. Card. MEDINA ESTÉVEZ

*Praefectus*

Marius MARINI

*Subsecretarius*

<sup>5</sup> Cf. SACRA CONGREGATIO DE CULTU DIVINO, *De Patronis constituendis*, diei 19 martii 1973: *Acta Apostolicae Sedis* 65 (1973) 276-279, nn. 4, 6.

<sup>6</sup> Cf. *Ibidem*, nn. 3, 7-8.

<sup>7</sup> Cf. *ibidem*, nn. 5-6.